

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCVIII

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80
ubique extra Italianam Libell. 6,25
(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)
recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis," possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque sive *Vox Urbis* kalendarium, sive tabulam m. 0,25 × 0,45 Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCCXLVI peractam, *ad libitum* sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotatione sibi gratuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres — bibliopolis exceptis — magnificam tabulam dono accipiet m. 0,63 × 0,85 in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, officina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem — bibliopolis pariter exceptis — dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europeae loco ubi vivit Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere gratis omnino gaudebit.

Ann. XI. ROMAE, Kal. Septembribus MDCCCCVIII Num. IX.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80
ubique extra Italianam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

"Kronika Rodzinna,"

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1699, Rue Notre-Dame.

MAGNI MOMENTI MONITUM



Pontifica officina Candelarum ad Sacra
vapore acta

CONSTANTINI PISONI

ROMAE in ITALIA

CORSO Vittorio Emanuele, 127-129 — VIA SEDIARI, 1-2-3
innumerorum eorumque illustrium clientum suorum animadversionem
repetit in *faculas ad noctem* atque ad collu-
strandum, quas iure proprietatis sibi protexit.

In his

Lux — Salubritas — Parsimonia

Mundities — Diuturnitas — Commodum.

Sunt enim forma singulari; a ceteris huiusmodi omnino dif-
ferunt tum ex Italicis tum ex exteris officinis; perfecte com-
buruntur; tempus maximum durant.

**Qui semel expertus fuerit, eas procul dubio
in posterum semper adhibebit, nunquam relinquet.**

Vitrei caliculi consulto ad usum apparati venumdantur.

Candelae ex cera ad sacra - Candelae exquisitis ornamentis decorae.

Officina condita est anno MDCCCLIII



Diversorium Magnum, cui a Minerva nomen
(Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE - Piazza della Minerva - ROMAE

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro,
recens omnino instauratum - Tercenta cubicula et
magnae aulae - Calefactio - Balnea - Electrica lux
ubique - Machinae duo ad ascendendum - Hiemale
viridarium - Ludi triduculares - Aulae mulieribus
reservatae.

Sacellum pro sacerdotibus ad sacra litanda.

Leopoldus Scotti, moderator.

Gulielmus Gaudenzi

Romae, Tor Sanguigna, 2-3; Via Coronari, 1
cuique suppedit coronas, numismata, Christi cru-
cifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum
omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad
sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros,
omniaque in Puellarum Mariae usum; pulcrarum ar-
tium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et
similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Prospectum subnotationis *Vox Urbis* Commentarii

in an. MDCCCCVIII

videas in quarta operculi pagina.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Septembribus MDCCCCVIII.

Num. IX.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Titulus.

Iosephi Sarto Pli X P. M. vitae dies notabiliores.

Pli PP. X Apostolica Acta praecipua.

Pli PP. X sollicitudo pastoralis.

Pio X Pont. Max. annum emenso quinquagesimum a suscepto
sacerdotio MDCCCLVIII-MCMVIII.

Pius X de religione pariter ac de sana philosophia optime me-
ritus.

Ad Mariam ab origine labis expertem pro Pio PP. X pre-
catio.

Pius PP. X eiusque proposita.

Pius PP. X et biblica studia.

Pius X P. M. Augustas Taurinorum hospes domi apud Ioannem
Bosco sacerdotem.

Ex Polonia. Pio X Beatissimo Patri gratiarum actio et gratulatio.

PIO · X · P · O · M ·

QVOD · VNICE · SPECTABAT

XIV · KAL · OCTOBR · M DCCC LVIII

DIVINIS · MYSTERICIS · INITIATVS

SESE · TOTVM · PRO · HOMINIBVS · CONSTITVERE

IN · IIS · QVAE · SVNT · AD · DEVVM

ET · PER · ANNOS · L

AB · INFIMIS · AD · SVMMOS · SACERDOTII · GRADVS · EVECTVS

CONSTANTI · RELIGIONE · SERVAVIT

QVO · TANTO · VITAE · SACRIFICIO

VBERIORES · FRVCTVS · IN · DIES · RESPONDEANT

VOX VRBIS · COMMENTARII · POSSESSOR · SCRIPTORES

OMINANTES · EX · ANIMO

PARVVM · HOC · OBSEQVII · AC · DEVOTIONIS · TESTIMONIVM

D · D ·

JOSEPHVS FORNARI

IN COMM. VOX VRBIS REDIGENDO PRIMAS AGENS.

JOSEPHI SARTO
PII X PONT. MAX.
VITAE DIES NOTABILIORES

Anno M DCCC XXXV die II mens. Iunii, Riese, in oppido dioecesis Tarvisinae, ex Ioanne Baptista Sarto et Margarita Sanson humili loco nascitur hora circiter undecima. Insequenti die caelesti lavacro purgatur, nominibus impositis Iosepho, Melchiore.

An. M DCCC XLVI in templo cathedrali oppidi Asolo ab exmo viro Ioanne Baptista Sartori Canova, episcopo tit. Myndio, sacrosancto chrismate confirmatur.

An. M DCCC XLVII die VI mens. Aprilis sacra synaxi reficitur.

An. M DCCOL mense Augusto humanitatis studia explet in civitate Castelfranco, ad septimum lapidem ab oppido Riese posita, quam quotidie pedibus petebat. — Die XIX mens. Septembris vestem clericalem induit, ac mense Novembri seminarium Patavinum ingreditur.

An. M DCCC LII die IV mens Maii patre orbatur, LX annum agente. — Mense Novembri philosophiae studia inchoata.

An. M DCCC LIV in divinarum rerum doctrinam primum intendit.

An. M DCCC LVI mense Novembri Tarvisii clericales ordines init.

An. M DCCC LVIII die XIX mens. Septembris subdiaconatum ibidem suscipit.

An. M DCCC LVIII die XXVII mens. Februarii sacriss evangeliis in eadem urbe initiat. — Die XVIII mens. Septembris in civitate Castelfranco ab exmo v. Ioanne Antonio Farina, episcopo Tarvisino, sacerdos consecratur, ac postridie in natalis oppidi parochiali templo hostiam primam Deo immolat. — Mense Novembri Tombolo in oppidum alter a parocho mititur.

An. M DCCC LXVII mense Iulio Salzano oppidi paroeciam assumit.

An. M DCCC LXXV ab exmo viro F. Zinelli, episcopo Tarvisino, apud se vocatur et canonicus dicitur. Subinde cancellarii episcopalii, seminarii moderatoris, primicerii capitularis, iudicis prosynodalitis atque ecclesiastici tribunalis, denique vicarius generalis muneribus fungitur.

An. M DCCC LXXVIII, Zinelli episcopo repentina morbo correpto, vicarius capitularis eligitur.



Ioan. Ant. Farina, episc. Tarvisinus,
a quo Pius PP. X sacerdos est consecratus.

PII PP. X
APOSTOLICA ACTA PRAECIPUA

Si quis Iosephi Sarto, nunc Pii PP. X, vitam per annos quinquaginta in sacerdotio ductam brevibus notis repetere voluerit, eam qualem Apostolus (II Cor., VI) perfecti Dei administri significavit « in laboribus, in vigiliis, in ieuiis, in castitate, in scientia, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » omnem transegisse iure quidem affirmaverit; quarum summa in supremo Pontificatus munere acta ab eo huc usque edita dici possunt. Iuvat igitur praecipua haec revocare, quae praestanti erga Deum et homines amore flagrantem in eumque unice intentum sedulo cuique perspicienti Ipsum facile demonstrant.

Sunt igitur quae sequuntur:

Die IV mens. Octobr. MCMIII, Epistola encyclica *E superiore apostolatus cathedra de omni re instauranda in Christo.*

An. M DCCC LXXX a novo Tarvisino episcopo Iosepho Callegari, ac deinde (an. M DCCC LXXXII) ab eius successore vicarius generalis confirmatur.

An. M DCCC LXXXIV die X mens. Novembris a Leone XIII episcopus Mantuanus creatur, atque die XVI e. m. Romae, in templo S. Apollinaris, a purpurato patre Lucido M. Parocchi, Cardinali Urbis Vicario, consecratur.

An. M DCCC LXXXV die XIX mens. Aprilis dioecesis suae gubernacula suscipit.

An. M DCCC LXXXIII die XII mens. Iunii in sacram senatum cooptatur, presbyterali titulo S. Bernardi ad Thermas ei attributo. Tribus diebus post Venetorum patriarchatu augetur, quem die XXIV mens. Novembris occupat.

An. M DCCC LXXXIV die II mens. Februarii matre privatur ad Deum excedente.

An. M DCCC III, die XXXI mens. Iulii sacrum vaticanae domus comitium ingreditur cum ceteris patribus cardinalibus Leoni PP. XIII vita functo novum Pontificem suffectoris. — Mense Augusto, die IV, quinquaginta suffragiis praepolens, ad summum sacerdotii fastigium evenerit. Nomen sibi eligit Pius X, atque die IX e. m. triclini diademat in vaticana basilica coronatur.

Die XXII mens. Novembr. MCMIII, Motu proprio *Tra le sollecitudini dell'officio pastorale de musica sacra.*

Die VIII mens. Decemb. MCMIII, Epistola *Il desiderio di veder rifiorire ad Eum. Cardinalem Urbis Vicarium de musicae sacrae restaurazione.*

Die XVII mens. Decemb. MCMIII, Motu proprio *Romanis Pontificibus de electione Episcoporum ad Supremam S. Offici Congregationem avocanda.*

Die XVIII mens. Decemb. MCMIII, Motu proprio *Fin dalla prima Nostra Encyclica ad actionem catholicam, quae dicitur, moderandam.*

Die XXIII mens. Ian. MCMIV, Litt. in forma Brevis *In praecipuis laudibus ad Pontificiam Academiam Romanam S. Thomae Aquinatis de cultu philosophiae doctrinæque thomisticae provehendo.*

Die XXVIII mens. Ian. MCMIV, Motu proprio *Quae in Ecclesiae bonum quo S. Congregatio Indulgentiis et SS. Reliquiis praeposita cum SS. Rituum Congregatione perpetuo coniungit.*

Die XI mens. Febr. MCMIV, Litt. encyclicae *Ad diem illum laetissimum ob sollemnia quinquagenaaria a definitione dogmatica Immaculatae Conceptionis B. M. V.*

Die XI mens. Febr. MCMIV, Litt. *Quum arcano consilio quibus indicitur visitatio Apostolica omnium Ecclesiarum et locorum piorum almae Urbis.*

Die XXIII mens. Febr. MCMIV, Litt. Apostolicae *Scripturae Sanctae de academicis in S. Scriptura gradibus a Commissione Biblica conferenda.*

Die III mens. Martii MCMIV, Litt. in forma Brevis *Quae nostra fuerint, quibus amplissimae facultates pro Apostolica visitatione in Urbe peragenda conceduntur.*

Die XII mens. Martii MCMIV, Litt. encyclicae *Iucunda sane ob saecularia sollemnia ob obitu S. Gregorii Magni PP.*

Die XIX mens. Martii MCMIV, Motu proprio *Arduum sane munus de Ecclesiae legibus in unum redigendis.*

Die XXV mens. Martii MCMIV, Litt. circulares *Pergratum mihi ad omnes episcopos, quibus regulae traduntur pro Ecclesiae legibus in unum redigendis.*

Die XXV mens. April. MCMIV, Motu proprio *Col nostro de libris cantus liturgici edendis.*

Die V mens. Maii MCMIV, Litt. Apostolicae *La ristorazione d'ogni cosa in Cristo ad Eum. Cardinalem Urbis Vicarium, quibus clerici omnes et sacerdotes Romam studiorum causa audeentes, Seminaria vel Collegia ecclesiastica ingredi iubentur.*

Die XI mens. Maii MCMIV, Decretum *Ut debita per S. Congregationem Concilii emissum de observandis et vitandis in Missarum manualium satisfactione.*

Die XXVIII mens. Iulii MCMIV, Litterae circulares *La Santità di Nostro Signore ad omnes Italiae episcopos per Eum. Cardinalem Secretarium Status missae de actione catholicā in Italia funditus renovanda.*

Die XXVII mens. Decemb. MCMIV, Litt. *Experiendo plus ad Eum. Cardinalem Urbis Vicarium de spiritualibus exercitiis a Clero peragendis.*

Die XII mens. Ian. MCMV, Litt. Apostolicae *Fra i molti e gravi uffici ad Eum. Cardinalem Urbis Vicarium de christiana catechesi accuratiū impertienda.*

Die VII mens. Febr. MCMV, Litt. in forma Brevis *Multum ad excitando, quo Equestres Ordines ab Apostolica Sede in posterum concedendi constituuntur.*

Die XXI mens. Febr. MCMV, Motu proprio *Inter multiplices de Protonotariis Apostolicis, Praelatis Urbanis aliquis, qui nonnullis privilegiis Praelatorum propriis fruuntur.*

Die XV mens. April. MCMV, Litt. encyclicae *Acerbo nimis de christiana doctrina tradenda.*

Die XIV mens. Maii MCMV, Litt. *Aere nefariumque ad Episcopos Aequatorianos de potestatis civilis hostilibus ausib[us] strenue sustinendis.*

Die XI mens. Iunii MCMV, Litt. *Il fermo proposito ad Italie Episcopos missae de ratione circa religionis civitatisque negotia habenda, deque actione catholicā.*

Die XY mens. Iulii MCMV, Motu proprio *Sacrosancta Tridentina Synodus de examinibus Ordinandorum in Urbe.*

Die VI mens. Aug. MCMV, Litt. *Il ritissimo desiderio ad Emum. Cardinalem Urbis Vicarium de sacerdotibus in Urbem adeundibus.*

Die III mens. Decemb. MCMV, Epist. *Poloniae populum ad Archiepiscopum et Episcopos Poloniae quae Russico Imperio paret, de concordia inter cives protenda.*

Die XXII mens. Decemb. MCMV, Decretum *Vetuit S. Tridentina Synodus per S. Congregationem Concilii vulgatum de Seminariorum alumnis.*

Die XVIII mens. Ian. MCMVI, Const. *Provida de matrimoniis in Imperio Germanico contrahendis.*

Die XI mens. Febr. MCMVI, Epist. encyclica *Vehementer nos ad Archiepiscopos et Episcopos universumque Clerum et Populum Galliae de lata lege qua pervetusta Gallicae civitatis cum Apostolica Sede necessitudo violenter dirimir et indigna miserrima Ecclesiae conditio importatur.*

Die XIX mens. Mart. MCMVI, Motu proprio *Religiosorum Ordinum de clericis ad sacros ordines promovendis.*

Die XXVII mens. Martii MCMVI, Litt. Apostolicae in forma Brevis *Quoniam in re biblia, quibus ratio studiorum S. Scripturæ in Seminariorum clericorum servanda praecipitur.*

Die V mens. April. MCMVI, Litt. encyclicae *Tribus canticis ad Archiepiscopum et Episcopum Poloniae, quibus consociatio Mariavitarum seu « Sacerdotum mysticorum » reprobatatur et damnatur.*

Die XXVI mens. Maii MCMVI, Motu proprio *Sacrae Congregationi de Sacris Congregationibus super Disciplina Regulari et de Statu Regularium Ordinum abolendis.*

Die XVI mens. Iulii MCMVI, Motu proprio *Dei providentis de Religiosorum sodalitatibus nisi consulta Apostolica Sede non instituendis.*

Die XXVIII mens. Iulii MCMVI, Litt. encyclicae *Pieni l'animo ad Episcopos Italiae de clero recte rigideque moderando atque instituendo.*

Die X mens. Aug. MCMVI, Epist. encyclica *Gravissimo officii munere ad Archiepiscopos et Episcopos Galliae ad improbaditas rationes constitutionum culturalium ex lege Gallica constituentiarum.*

Die VII mens. Septembr. MCMVI, Decretum *Frequentes per S. C. Sancti Officii emissum de ieiunii et abstinentiae lege in Italia reformanda.*

Die V mens. Decemb. MCMVI, Decretum *Mariavitarum sacerdotum secta per S. C. Sancti Officii emissum quo Mariavitarum secta iterum reprobatur, et eiusdem duces vitandi declarantur.*

Die VI mens. Ian. MCMVII, Litt. encyclicae *Une fois encore ad Archiepiscopos, Episcopos et populum Galliae ad eorum animos erigendos ut strenue proelia fidei pugnent.*

Die XVIII mens. Iunii MCMVII, Litt. Apostolicae *Ea semper de Ruthenorum ritu in Septentrionali America.*

Die III mens. Iulii MCMVII, Decretum *Lamentabili per S. C. Sancti Officii emissum ad LXV propositiones circa Sacrae Scripturæ interpretationem damnandas.*

Die II mens. Augusti MCMVII, Decretum *Ne temere per S. C. Concilii editum de sponsalibus et matrimonio.*


Die VIII mens. Septembr. MCMVII, Litt. encyclicae *Passendi de modernistarum doctrinis.*

Die XVIII mens. Novembri MCMVII, Motu proprio *Præstantia Scripturae Sacrae* de sententiis Pontificalis Consilii Rei Biblicae provehendae praepositi ac de censuris et poenis in eos qui præscripta adversus modernistarum errores neglexerint.

Die I mens. Ian. MCMVIII, Decretum *Con l' intento per S. C. Episcoporum et Regularium editum quo regulae præscribuntur ad seminariorū alumnos instituendos.*

Die XXIX mens. Iunii MCMVIII, Constitutio apostolica *Sapienti consilio* de Romana Curia.

Die IV mens. Augusti MCMVIII, Exhortatio *Haerent animo ad Clerum Catholicum de Sacerdotum officiis.*



PII PP. X SOLlicitudo PASTORALIS

Aetatis huius nostrae intimas rationes attente consideranti facile in mentem obvenit saeculi vicesimi initia, ratione saltem inversa, comparari posse cum saeculi septimi primordiis, quibus latinae gentes, ethnico cultu propemodum abdicato, et, *gentilitatis* moribus pedentem exutis, in Ecclesiae gremium turmatim ingredi properabant. Romanae ecclesiae præerrat tunc Gregorius I, qui eo saeculo ineunte gentium suorum seriem veluti gloriose concludebat. Ipse enim adspiciens quidquid polytheismum saepet, obsoletum, ipsarumque urbium splendorem olim celebrum, barbarorum excursionibus præsertim, obscuratum, totus erat, ut in Christo omnia extrueret; et proinde evangelica lex, quae iamdiu evulgata fuerat, non solum interiora domus privatosque mores, sed etiam rei publicae rationes palam informaret. Unde assiduum illi cum præsulibus universis epistolam commercium, deorum delubra, quae adhuc existarent, in veri Dei cultum consecrare, liturgicae rei regulas statuere, concensus sacros ad legem reducere, et non semel ecclesiae ephobos suomet ore docere. Omnia ergo tunc temporis in Christo extruerantur.

At nunc, quis neget aequalium veluti contrario motu, publice nimis, et privatim, civium mores a catholica consuetudine desciscere? Extincta enim in plerisque divini Numinis recordatione omni artificio contenditur, ut in vitae ratione, civilis præser-tim, christiani nominis memoria extinguitur; sicque quidquid Gregorius ille olim extruere aggressus est, destruendum abolendumque videatur.

Sapienti ergo consilio Pius X vix ac supremi pontificatus solium ascendit, vestigiis insistens, quae iam inde Sacerdos, Episcopus sibi proposuerat, societatem hanc conspiciens christiani aevi haereditate propemodum abdicata ethnicae antiquitatis moribus, cultui voluptatibus inhiantem, Gregorii consilia

iterum aggressus quod ille in Christo exstruxerat, instaurari inre contendit. Quum autem *instaurari omnia in Christo* ad opus hoc quidem reducatur, ut aequalium consociatio a Christi sapientia aberrans ad Ecclesiae disciplinam apte revocetur; tantum opus perfici nullo modo poterit, nisi Christus primum formetur in iis, quibus munus est demandatum formandi ceteros. Nec sacerdotes, qui ecclesiae fundamentum constituunt, ad sanctitatem ac sapientiam informari valebunt, nisi sacris candidati, vel in ipsis ecclesiasticis ephobae doctrinae integritate, et morum sanctitate florescant. Hinc factum est, ut saepe saepius temporis decursu totis viribus adlaboraverit, ut saecorum alumni in omni sapientiae genere ad veritatem tuendam, atque osorum fidei columnas invicta refellendas, in ipso sacri seminarii ambitu, instructiores fierent. Hoc satis aperte innuit in encyclicis literis, quibus primum christiani orbis præsules salutavit; hoc et in prima allocutione adseruit in consistorio habita. Imo pontificem illum proprius imitatus, Gregorianum cantum antiqua traditione perceptum in sacris restituendum curavit.

Instauracionis opus maxime eminens appareret in studio ingenti, quo universas Ecclesiae leges ad haec usque tempora editas, in unum colligere lucido ordine statuit, amotis inde obsoletis, quae nostris temporibus minus responderent.


Huiusmodi instauracionis opus, quod clerum spectat, satis patefacit apostolica *visitatio* in singulas Italiae dioeceses nuper indicta et instantia singularis omnino, qua episcopos vehementer hortatus est, ut quotquot ad sacerdotium contendenter, iam a prima adolescentia pietatis studiique perfugia adirent.

Unde auspicato quidem Pius X vix suscepto gubernandae ecclesiae ministerio, quum solemnia secularia ab obitu Gregorii Magni celebrarentur, hunc virum incomparabilem per litteras encyclicas sub die IV Id. Mart. an. MDCCCLXIV episcopis universis commemorabat; imo tot inter animi anxietates, in quibus versabatur, in hunc decessorem suum oculis paulisper conversis, ab eiusdem gestorum memoria se recreatum affirmabat, quum se ad *magnam fiduciam in eius patrocinio penes Deum validissimo*, et eorum, sive quae sublimi ministerio præceperat, sive *quae sancte gererat*, recordatione quam maxime erectum confiteatur.

Faxit Deus ut pastoralis tanti Pontificis sollicitudo optatum exitum in salutem orbis universi consequatur!

Scrib. Albio Intemelio.

CALLISTUS AMALBERTI.



PIO X PONTIFICI MAXIMO

ANNUM EMENO QUINQUAGESIMUM A SUSCEPTO SACERDOTIO
MDCCCLXVIII-MCMVIII

*Musa, Reximum⁽¹⁾ pete, semisaeclo
iunior, templum: stat ibi novellus
Mysta, nunc primum radiante visus
fronte litare.*

*Dum litat Joseph — gerit hoc sacerdos
nomen — accensa pietate fervet;
fervido caelum patet, unde festum
clangit Hosanna.*

*Pane caelesti satur, ad medendum
pergit, et longas patiens in horas
terget a culpis animos, recluso
fonte salutis.*

*Scandit et templi cathedram, Deique
nuntiat leges et ad astra callem;
audunt docti cupida rudesque
aure loquentem.*

*Si quis aegrotat, vigil hunc piusque
visitat Pastor, peragrare montes
laetus et valles, ovium perire
ne sinat ullam.*

*O Virum terris Superisque carum,
infulas binas meritum sacramque
purpuram, quem nunc potior Tiaræ
splendor adornat!⁽²⁾*

*Ornat, at frontem simul heu! cruentat
candidam spinis: quot ubique dira
nos tuam prolem, Pater alme, Teque
bella laceunt!*

*„Libero quum Te pede Vaticanum
ingredi templum tua Roma cernet,
omnis immensum canet Urbs, canetque
Orbis Hosanna.„*

FRANC. XAV. REUSS.

*Huic præest Urbi, Fidei magistrae,
(ecquis id credat?) Caiphae furentis
abnepos Nathan, Crucifice clamans
rurus avitum.*

*Gliscit et passim reliquum per orbem
secta, doctrinis inimica Christi,
cuius inventor Satanas; trigonum
stemma, sigillum.*

*Nec satis: tectus spoliis ovinis,
ipse subrepit lupus inter agnos;
quem tamen caulis, Pie, depulisti
fulmine tritum.*

*Maesta sed mitto... Tuba Iubilæi
nos monet laeta Decimo Piorum
voce grafari, iubet et canoras
texere laudes.*

*Mille te gentes cecinere linguis
mille; nunc versu liceat latino
haec Tibi, plectro modulata cordis,
fundere vota:*

*„Ille, quo ferves, Pater, Ignis Ardens
frigidu cuivis tepidove sacros
afflet ardores animo, premendos
turbine nullo.*

*„Sic diu felix, viridi senecta
vive donandus; videoque solem,
alma qui pacis trepidu redonet
munera mundo.*

(1) Riese (latine Rexium) Pii X, ut omnes norunt, pagus est natalis, in cuius templo primum Sacrum celebravit die XIX Sept., quum pridie inuenitus fuisset sacerdos.

(2) Anno MDCCCLXXXIV, Episcopus Mantuanus creatus est, et novennio post, S. R. E. Cardinalis et Venetorum Patriarcha.

PIUS PP. X
DE RELIGIONE PARITER AC DE SANA PHILOSOPHIA
OPTIME MERITUS

Frequenter audimus hodie et in publicis diariis legimus disputationes de quibusdam novis rebus christiana reipublicae doctrinae omnino adversantibus. Nonnulli etiam sunt qui calamitas et aerumnas graves in Christo et eius in terris Vicario credentibus praenuntiant, imo ruinam minantur extremam nisi, veteribus posthabitatis rationibus, novitati et progressui, quem dicunt, hominum generis cum omni inventionum et novorum studiorum apparatu gradieni, morem gerant et adhaereant.

Ex his potissimum sunt qui veterum sapientiam ac doctrinas pertaes, quas, ut plurimum, nonnisi nomine cognoscunt, recentium novitati sermonum et opinionum accedunt, quae sub *modernismi* nomine societatem pervadit et inficit. Quibus damnis sapienter occurrit pastoralis vigilantia Pii X Pontificis Summi per suam *Pascendi dominici gregis* epistolam encyclicam, in qua nuper exortos errores ad examen revocavit singillatim, fuseque refutatos damnavit. Sed quia, pro more suo et dignitate, Romanus Pontifex non venit ad singula et philosophiae placita ex quibus errores novi diminant hand nominat, non abs re erit ea cognoscere, ac rationem praesertim ex quo Alafridus Loisy suam hausit a veritate catholica abhorrentem doctrinam.



Iosephus Sarto
sacerdos an. MDCCCLVIII.

Viri doctissimi, quos inter Eugenius Polidorius S. I., in sua *Apologia Christianismi*, aliisque plures, tenent Gallum scriptorem agiographum, sive ex proposito, sive ex sua cum Germanis philosophis consuetudine, fere praeter intentionem doctrinam Kantii imbutum, a sensu veritatis catholicae excidisse. Utriusque scriptoris opiniones delibabimus et conferemus, ex quo clare constabit Gallum Germani philosophi doctrinam plurimum referre, proindeque eiusdem erroribus scatere, id quod sacerdoti catholico, acri ingenio praedito, accidisse, summopere dolendum.

Konysbergensis philosophus Emmanuel Kantius, uti notum est philosophiae studiosis, in suo primo opere, *Critices rationis purae*, aperte docet nos co-

gnoscere non posse nisi *phaenomena* (speciem extarnam) rerum; *numen*, sive rerum essentiam, percipere non posse...

Quando ex rerum specie, sive *phaenomeno*, mens ad efformandum iudicium assurgit, id totum esse, ait, actum mentis, quae certis legibus et formis insitis convertit species rerum in iudicium de eorum essentia. Quae iudicia talia sunt non ex eo, quod res suam impresserit imaginem in mente, sed quia id exigit mens.

Haec iudicia Kantius vocat *syntetica a priori*. « Nos ita sentimus, quia ita a natura conditi sumus; si aliter conditi fuissimus, mundus alias esse scienter videretur » (1).

Sic qui conspicillo viridi utitur, omnia viridia, et qui morbo regio laborat omnia flava cernit!

« In limine doctrinae *metaphysicae*, veritas desinit esse obiectiva; veritas – argute et ironice, prosequitur doctissimus Negrinus – pro unoquoque ea est quam sibi quisque effingit. Curnam Kantius est philosophorum maximus? Quia impossibilitatem adstruit creandi scientiam metaphysicam! » (2).

Destructa igitur, in opere: *Critices rationis purae*, omni cognitione reali (ut ipse putat), Kantius, ad vitandas consequentias periculorum plenas, in alio opere: *Critices rationis practicae*, aliquod remedium instituit. In hoc enim opere docet, etsi nos non possumus rerum scientiam assequi, sed tantum eorum species sensibus obnoxias, tamen, ad moralitatem servandam, instinctu naturae, quasdam « practicas » veritates admittere teneri. In his sunt: Dei existentia, animi immortalitas; quae veritates, quia intellectu percipi nequeunt, sunt quaedam voluntatis affirmations et creationes.

Quam erronea et contradictoria sit haec Kantii doctrina nemo est qui non videat, praesertim si primum eius opus cum secundo conferatur, quod quidem non vetat quominus maximus hic philosophorum habeatur a multis patriarcharum traditionum et gloriarum prorsus oblitus.

Ex his principiis *criticismus*, quem dicunt, Comitis et *agnosticismus* Spencerii; ex his, recto tramite, *phaenomenismus*, qui, in rebus ad historiam pertinentibus, *historicismus* appellatur.

(1) Ita graphicè exprimit Kantismum BROFFERIUS, *Psychologia*, (Mediolani, Briola 1889), f. 279.

(2) CAIETANUS NEGRINUS in opere, italicico sermone exarato, *Signa temporum*, (Mediolani, Hoepli, ed. alt.), f. 497.

Ad hanc doctrinam, vel consulto, vel sensim et quasi inopinato, ex sua, ut diximus, cum Germanis consuetudine Alafridus Loisy confugisse videtur. Profecto in suo opere: *Autour d'un petit livre* (f. 9-10), haec habet: « Historia non percipit nisi *phaenomena* cum eorum successione et ligamine, ... ipsa non percipit ab imo res. Si de factis ad religionem pertinentibus agatur, ea considerat in limite eorum formae sensibilis, non in eorum causa formalium. Haec est, relate ad facta religiosa, qualis causa viri scientia praediti relate ad essentiam rerum naturalium. Quod sapiens percipit, non est nisi infinitas *phaenomenorum*, sed vis, post ea latens, experientia assequi nequit».

Nonne ad *phaenomenismum*, seu, agendo de re historica, ad *historicismum*, deventum est? Quae auctoris cognitio si nomine scientiae donari velit, erit prorsus scientia speciei, corticis, ut ita dicam, rerum, vel, si ita loqui fas est, brutorum scientia.

Hanc interpretandi facta evangelica rationem si in praxi deductam videre volumus, exemplum habemus luculentum in auctoris investigatione de resurrectione Christi Iesu in eius opere *l'Évangile et l'Église* (f. 74): « Detectio sepulchri vacui et apparitiones Iesu discipulis, si accipientur veluti physicae probationes resurrectionis, non efformant argumentum pro historico certum ex quo probetur omnimoda certitudine Christum e mortuis surrexisse: » Ecce? « Quia – prosequitur – Christus, e morte excitatus, non amplius pertinet ad praesentis vitae conditionem, quae conditio ad *experientiam sensibilem* refertur, proindeque resurrectio non est factum quod *directe* et *formaliter* probari potuerit. Ingressus mortui ad vitam immortalē non est investigationis obiectum ».

Talem viam ingressus, omnia in dubium revocat vel respuit omnino. Sed cur adhuc se christianum iactat? En ratio: sicut ad vitandas consequentias repugnantes Kantius ad rationem practicam confudit, ita Alafridus Loisy ad fidem. Spreta Evangeliorum



Iosephus Sarto, Pius PP. X, an. MDCCCCVIII
(Photographice expressit I. Felici eques, Romæ).

historica narratione, ne ab eo petatur cur nihilominus credit et sacerdotem gerat, respondit: *Credo per fidem*. Quae sit eius fides non quaeremus; certum est autem, reiecta divina revelatione, agi non posse de-fide ad salutem consequendam.

His dictis facile patet quomodo Emmanuel Kantius Gallus exegeta adhaereat, qui quippe sacerdos, christianis doctrinis altus, post acceptas praecipue motiones, per superbiam solumento a claris sapienti deflexisse et ad Germanorum novitates, toties refutatas, animum convertisse. Nam, nonne clariores, credibiles atque nobiliores sunt Aquinatis, aliorumque scholasticorum de origine et progressu cognitionis



Rexini templi parochialis, in quo Pius PP. X
sacra primum litavit, prospectus exterior.

humanae doctrinae, per quas nos, ratione praediti, ex perceptione sensitiva rerum ad earum causas assurgimus iudicium de ipsis efformantes?

Loisy tamen, quadam humilitate se protegens repetit: «Ego historicum ago». Sed licet verum sit hoc, qualem historicum?

Philosophia arctissimo vinculo historiae coniungitur ipsamque, perficit, uti, in rebus ad religionem spectantibus, theologia historiam non solum, sed etiam philosophiam complectitur, illuminat, absolvit.

Loisy eiusque sectatores viam erroris ingressi, nihil esse firmum in religione, omnia evolvi profitentur, qua de re veritates et dogmata omnia pessum ire plane liquet universumque ruere christiana religionis divinum aedificium.




Haec causa exstitit qua vigilantissimus Pontifex Pius X, quem Omnipotens bono Ecclesiae et totius hominum generis diu sospitem servet, tot tantisque malis Christianae Reipublicae impendentibus occurrens, post iteratas, sed irritas monitiones, opera Gallici scriptoris damnavit; encyclicas litteras edidit *Pascendi dominici gregis* in quibus *modernism* errores, ex agnosticismo Kantiano manantes, enucleantur, fuse refelluntur, damnantur, remedia parantur, ac Loisy, novos edentem libros, haeresi in-

fectos, postremo a communione christiana penitus seiuinxit.

Neminem latet quantum ad salutiferae religionis utilitatem sapientibus hisce curis et laboribus, ut cetera praeteramus, summi pontificis studium contulerit; quantum ipse de philosophiae et historiae decoro, quantum de dignitatis humanae bono sit promeritus. Quare illi summae habendae sunt grates, qui incolumentati, Fidei prospiciens, eodem tempore sarta teataque humanae scientiae iura, contra novatorum molimina atque deliramenta, servat, profecto dignus qui Christi Dei, *scientiarum domini*, vicarius fuerit renuntiatus atque, eius propinquantibus ab inito sacerdotio quinquagenariis sollemnibus, dignis honoribus afficiatur, obedientiae et obsequii sinceris ubique terrarum significationibus recreetur.

Scr. Nerulae in Sabinis.

MICHAEL FILIPPI.



AD MARIAM AB ORIGINE LABIS EXPERTEM PRO PIO PP. X PRECATIO

DEI · PARENTS · AB · ORIGINE · LABIS · EXPERS

MARIA

CAELI · TERRAE · QVE · DECVS


REBVS · SOLAMEN · IN · ADVERSIS

TV · PIO · X · PERFGIVM · ET · SALVS · ADSIS

CERTA · SALVTIS · ANCHORA

CLYPEVS · TVTELA · PRAESENS

FR. BERNARDINUS A MONTICULO VESTINUS
CAPULATORUM FAMILIAE SODALIS



PIUS PP. X EIUSQUE PROPOSITA

Finem considerate, ad quem acta omnia huius Pontificis, ex quo Petri solium ascendit, directa sunt. Haec enim Eius propositi summa, unice atque indefesse animorum ac voluntatum cohaerentiam retinere. Id faciens medicorum illustrium eorum similis est, quorum diagnosis corporis membrum morbo laborante recta petiti. Plane enim statimque Is intellexit verum Ecclesiae periculum... nunc in spiritu quodam situm esse fidelibus pluribus ipsisque sacerdotibus non nullis communi, sese cum omni vita adspectu accommodandi Atqui haec est contra ratio certissima neque rerum universitatem neque singulorum vitam moderandi!

Ecc P. BOURGET.

PIUS PP. X ET BIBLICA STUDIA

Catholica fides inde ab initio, impiorum vexationibus obnoxia, sed nullo unquam certamine peritura, postremis hisce temporibus, magnum discrimen passa est, cuius funestissimos exitus et nunc pessimi esse exempli nemo est qui neget. Saeculo enim xix ad finem vergente, illius gallicae scholae discipuli, quam «largam» vocant, «modernismum» portententes, eo audaciae processerant, ut sacrorum librorum inspirationem captiosis terminis circumscriventes, eorum quoque divinae auctoritati et historicae veritati acerbissimum vulnus infligerent. Itaque, ut rei christiana consuleret, idemque caveret, ne oves venenata erroris pascua transversas agerent, felicis recordationis Pontifex Leo XIII, die xviii mensis Novembris, an. MDCCXCIII, admirabilem Encyclicam *Pro-videntissimus Deus* edidit, cuius finis fuit damnationis notam inurere iis, qui assererent, «inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea pertinere, eo quod falso arbitrarentur, quum de veritate sententiarum agitur, non adeo exquirendum, quae nam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ab causam ea dixerit». Deinde statuens: «tantum vero abesse, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam veritatem, nullius erroris auctorem esse». Praeterea Leo, pervigil strenuusque catholicae fidei custos et vindicta, die xxx mensis Octobris, an. MCII «Commissionem bibliam» instituit, qui eruditissimorum et piorum virorum coetus quaestionibus multiplicibus de re biblica dirimendis praeesset. Quibus praesidiis sacrorum librorum divinitate munita, Ecclesia Dei in pace futura esse videbatur; sed arcanis divinae Sapientiae consiliis, quae electos suos, per constantiam in fide summis angustiis pressam, vult ad palmarum victoriae adducere, non ita placitum est. Serpentium enim ore, «Scholae largae» sectatores, alia via, ad pristinum propositum redire contenderunt, fallaciter distinguentes id quod sacri scriptores enuntiant ab eo quod approbant, id quod ipsi docent ab eo quod ex aliis fontibus proferunt, doctrinam, quae proponitur, a scribendi genere, quo exprimitur, veritatem *relativam*, quae scriptoris eiusque aetatem tantummodo spectat, a veritate *absoluta*, quae nullo unquam tempore mutatur. Ita res in peius ruere! Nec mirum, si, in tanta animorum perturbatione, nonnulli a recto tramite deflecent.



Rexini templi parochialis, in quo Pius PP. X
primum sacra litavit, prospectus interior.

Leoni XIII, die xx mens. Iulii MCIII, vita sanctissime defuncto, Pius X - re et nomine vere pius - successit, cuius futuri Pontificatus forma fuit: «omnia in Christo instaurare». Quae autem haec «instauratio» fuerit, docent, in primis, Encyclicae Litterae (d. xxv mens. Aprilis MCIV) de christiana doctrina pueris tradenda. Evidem christiana doctrinae elementa, quibus prima aetas imbuitur, catholicae fidei incrementi et conservationis fundamentum sunt, e quo, velut ex fonte, salutares caelestium bonorum rivi deducuntur; christiana doctrinae ludo, paene dixi, arma parantur, quibus, nova hominum soboles, Dei hostium undique irruentium periculum factura, acriter dimicet certaque victoriam adipiscatur. Ne tamen a proposito discedere videar, ceteris missis (1), hic praincipia quaedam attingam, quae ad studiorum biblicorum incrementum et progressum stricta significance pertinent. Igitur primum aliquid commemorare iuvat de Litteris apostolicis, in forma Brevis, quibus ratio studiorum S. Script. in Seminariis Clericorum servanda praecipitur (d. xxvii m. Martii a. MCVI). Profecto nil his sapientius excogitari potest: praestantissima sane studia biblica in Semina-

(1) *Litt. apost.* (d. xxiii mens. Fehr. MCIV) de academicis in S. Script. gradibus a Comm. bibl. conferendis; *Litt. S. Congr. EE. et RR.*, quibus Ordinibus rel. facultas datur, ad academicos gradus in S. Script. assequendos (d. xxi mens. April. MCIV); *Rationem studiorum pro periculo subeundo etea a Comm. bibl. propositam* (mens. Oct. MCIV); *Motu proprio* (d. xviii mens. Novembris, MCVII) de sententias Pontificis Consilii regi bibl. provehendae praepositi ac de censuris et poenis in eos qui prescripta adversus modernistarum errores neglexerint; quatuor Comm. bibl. responsa, quibus addo postremum de Isaiae libro die xxviii mens. Junii curr. anni editum.

riis instaurandi ratio est, qua Pontifex, dum a temerariis novatorum commentis doctores et alumnos cavit, idem, sicut scriba doctus, qui profert de thesauro suo nova et vetera, quaecumque recentiorum sollertia peperit, ut in rem suam convertant, vehementer urget. Pauca raptim delibemus.



Quod n. I Pontifex praecipit, ut « S. Scripturae studium in quoque Seminario impertendum, praeter alias notiones, historiam utriusque Testamenti complectatur » valde opportunum, immo plane necessarium esse existimo. Quomodo enim quis S. Scripturam rite explanet, ni apprime calleat Hebraeorum gesta, consuetudines et mores? Quae praescriptio eo magis commendanda videtur, quod, quantum mihi saltem compertum est, hucusque nonnullae italicorum Seminariorum scholae, ab huius officii relligione, maxima ex parte, declinabant. Item, quae sequuntur n. II « de biblicae disciplinae curriculo in totidem annos partiendo, quot annos debent alumni, ob scarum doctrinarum studia, intra Seminarii septa comorari », et quae n. IV, V, VI, VII et VIII de Veteri et Novo Testamento explanando traduntur, in idem conspirant, eaque biblicorum studiorum incremento longe esse profutura cuique patet. Omnia autem maximum caput est – quodque haud dubie studiis biblicis provehendis novum idque efficax incrementum praebet – n. X, quo Pontifex, Leonis XIII praeceptum iterum firmans, statuit: « Alumni, qui meliore de se spem facient, hebraeo sermone et graeco biblico, atque etiam, quoad eius fieri possit, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca, aut araba, erunt excolendi ». Quod iam executioni mandatum esse – si de lingua hebraica et graeca sermo est – ex Litteris Italiae Episcopis, de Seminariorum ordinandis, die x mens. Maii MCMVII, a S. Congreg. Episcop. et Reg. datis, aperte constat. Cuius praescriptionis necessitas studiorum biblicorum progressui apte congruit. Enimvero interpres, hebraicae et graecae linguae ignarus, solisque versionibus latinis vel vulgaribus fretus, num poterit nativum textum verbo reddere et explanare, vim sententiarum ostendere, orationis nexum et figuram patefacere, suam cum aliorum versionibus comparare, varietates intropicere earumque causas penitus agnoscere? Neque dixeris hebraicam linguam – quoniam graeca iamdudum in Seminariorum scholis in usu est – peculiaribus difficultatibus laborare eamque ideo profectum fere nullum alumnis allatram esse, quum humana prudentia edoceamus, saepe ex parvo arduam exsurgere molem! meque ipsum, qui hoc anno prima hebraicae linguae elementa docui discipulos meos, haud inanem laborem suscepisse reor. Absint ergo laudatores temporis acti; sanae « modernitati » acquiescendum est!



In iis, quae n. XI-XVIII continentur, quum necessaria eorum quae diximus consectaria sint, nulla causa est cur immoremur. Huc pertinent monita de S. Scripturae praelectionum numero augendo; de praecipuis quaestionebus, quae ad archaeologiam, geographiam et chronogiam biblicam spectant, in Seminariis, quae iure gaudent academicos gradus conferendi, explanandis; de privato alumnorum labore, quo suppliant id quod ad assequendam biblicam disciplinam debeat; de annuis periculis ab alumnis, tum in Seminariis, tum in Academiis subeundis. Verum duo silentio praeteriri nequeunt, quum per se validissimus biblicorum studiorum impulsus sint: alterum est de periculo Romae subeundo, secundum leges a Commissione biblica editas, ab iis alumnis, qui academicos in S. Scripturis gradus sibi comparare student; alterum est modicæ, pro facultatibus, in quolibet Seminario bibliothecæ institutio, ubi, ad rem, libri tum veteres, tum recentiores alumnis in promptu sint. Quorum primum quanti sit, ex rei gravitate constat: periculum enim ab alumno subeundum coram illis doctissimis viris, quibus in Urbe sedes est, ea requirit, quae, sine impenso labore et studio, haud facile perficiantur; periculum scilicet veri nominis est, quod alumnum, theologicis doctrinis studiose versatum, laurea non specie, sed re acquisita coronat. Nec alterum parvae utilitatis causa est, quum Seminariorum alumnis facultas detur, praeter quam quod veteris sapientiae cognitionibus, et novis sanae criticae inventis mentem amplissime erudiendi.

Haec, quem raptim exposuimus, studiorum pro Seminariorum ratio, a S. Congregatione Episcoporum et Regularium Italiae Episcopis data, cuius mentionem superius fecimus, late iam ad effectum adduxit; sique studiorum biblicorum incolumenti et incremento optime cautum est. Insuper quid dicam de Decreto *Lamentabili* S. Officii (d. III m. Iulii a. MCMVII) et de Encyclica *Pascendi* (d. VIII m. Septembri a. MCMVII), qua damnata « Modernitas », ictu fulmineo iaculata, ad silentium redire coacta est? Ceu turris, quae, nocturnis ignibus, navium cursum regit, ita Encyclica haec, vivida luce, catholicum orbem, undique erroris tenebris obductum, circumfudit; christiana fidei oscuribus munimen profecto inexpugnable!



Sed iam tempus est ut aliquid ex dictis colligamus: multa quidem, praesertim de Encyclica *Pascendi*, dicenda forent; at longum est omnia enumere, quae ceterum fines propositi mei et ingenii vires excedunt. Igitur grates debitas Deo agamus, quod nobis tantum Pontificem donavit, qui Leo

nis XIII opus ad unguem perfecerit, qui omnia in Christo instauraverit, qui finem tot dissidiis impo-suerit, christiano orbe uno ore concinente: *Roma locuta est, lis finita est: utinam finiatur et error!* Denique quid restat nisi ut Pontificis monitis et praecensis non quidem per silentium, uti Iansenistarum mos fuit, sed per consensum internum et externum aequo animo pareamus, utque, conlatis viribus, ne quid verborum Eius – quod Deus avertat! – irritum sit studeamus?

Pluribus ante saeculis, quo tempore, post civilia bella, Augustus Caesar, terrarum dominus, cuncta subegrebat, venusinus poëta, immortalis carmine, canebat:

*Alme sol, curru nitido diem qui
Promis et celas aliasque et idem
Nasciris, possis nihil urbe Roma
Visere maius!*

Fuitne hoc vaticinium, quod novae Romae, martyrum sanguine irrigatae, splendidiora fata, quae redemptorio munere sortita est, portenderet? Quidquid est, nunc faustissimum ethnici vatis omen, oculis nostris, impletum esse videmus. Sol, quotidie, nil maius urbe Roma aspicit! Pius X Pontifex, tot tribulationibus vexatus, universi christiani orbis obsequia et dona recognoscit, aptatque superbis postibus! O dies felix! O dies memoranda fastis! O inextinctum catholicae religionis iubar! Communem Patrem, qui Ecclesiae regimen tam feliciter suscepit, ad multos annos Deus sospitet nobisque conservet!

Scrib. in Portu romatino, Id. Aug. a. MCMVIII.

MARCUS BELLI.

PIUS X P. M.
AUGUSTAE TAURINORUM HOSPES
DOMI APUD IOANNEM BOSCO SACERDOTEM

Erat annus saeculi elapsi octingentesimus septuagesimus quintus supra millesimum, quo die sollemni pompa colitur Mater Dei Virgo inter sidera recepta, et nobis etiam tum ignotus, Ioseph Sarto, canonicus Tarvisinus, domum Salesianorum principem ingrediebatur. Ipse, ab urbe Casali sancti Evasii in Subalpinis profectus, ubi summa gratia atque doctrina sacerdotibus Dioeceseos orator fuerat, qui per aliquot dies piis exercitationibus operam dabant, sub pietatis magistro, priusquam Tarvisium redire cogitaret, Augustam Taurinorum invisiere statuit, ea modo conditione, ut praesentem agnosceret Ioannem Bosco, praeclarissimae virtutis virum, ac religionis studiosissimum. Eius enim nomen, vel iam ab illo tempore, in cllya opera, vita in omni rerum varietate exercita,

totam Italiam pervaserat, atque apud exteris gentes pervenerat. Sed mirum! nunquam antea ipse illustris hominis consuetudine fuerat usus. Loci propinquitate monitus, optimum factu putavit Augustam Taurinorum petere, suisque oculis virum Dei omnibus notissimum videre ac noscere.

Ad haec illo ipso die, omnium alumnorum gaudio, Patris legiferi natalitius agebatur, et quod caput, pueris, qui primas in virtutibus studiisque retulissent,



Civitatis Castelfranco templum,
in quo Pius PP. X sacerdos inunctus est.

vel litteras colerent vel fabiles artes exercerent, sub ciuis ductu consilioque, praemia magno civium advenarumque concursu proponebantur.

Qui motus in aedibus! Quae iuvenum laetitia!
Qui strepitus adclamantium et rumor!

Quapropter in primo ingressu animorum exsultantiam maxime admiratur, puerorum festivitatem adspicit; et ecce obvius ei est ipse Pater, qui e templo egressus, hilari vultu oculisque benignis hos et illos placide salutat, illos nominatim adpellat, et subridens, magna alumnorum frequentia comitante, de more stiptus ac poene obrutus, lente progreditur inter duo festantium agmina.

Rem dum tacitus longe Tarvisinus canonicus observat, et novitate eius perculsus opportunitatem eum adloquendi patiens exspectat, Pater eum videns ultro praecuppat atque compellat, mille quoque verbis cautius, peramanter interrogat, quis sit, unde veniat, quem quaerat, si quem noverit aliaque id genus complura. At quum primum eum peregre venisse sentit,

et nunquam antea neque Augustam Taurinorum invisisse neque Salesianorum Patrem offendisse: « Tu, — inquit, hilari vultu animosque ei plurimum adiiciens, — hospes noster carus gratusque eris, et nostra qualiscumque ea demum est, mensa uteris. Neo sane opinare epulaberis... laetus si non laetus te accipiam ».

Hisce verbis summopere illectus, conditionem accipit, et mente secum alacer voluntat quod olim de Episcopo Novocomensi scripsit Ambrosius, hospites summopere gaudere quod maxima laetitia usque ab ipso exiperentur. Et viros et virtutes simul hic componere studet.

Namque Patris festivitas, ipsa cum peregrino homine confidentia, ita eum admiratione afficit, atque effigiem animi sui ei reliquit, ut nunquam eius memoria ex corde suo decidere potuerit. Quam enim exspectationem vir sanctus rebus antea gestis concitaverat, nunc singulari consilio, et lenitate atque industria sustinuit auxitque. Et eius animi dulcedo, doctrina, liberalitas, fama iam clarissima, de praesentia maiorem in modum crevit.

Ille igitur faustissimus dies nobis hoc dedit, imo et largitus est, ut Salesianorum aedes Patronum haberent, qui, labentibus annis, ipsas sartas tectas ab omni incommodo, detimento, molestia sinceras integrasque conservaret. Namque hospes ille, perspicientes communia puerorum studia, beneficia in eos paterna, quorum causa omnes ei debere profitebantur tum studiose, tum libenter, verbis candide laudabat, omniaque fausta ominabatur. Hic enim divina veluti manu perductus, ad supremam Petri sedem advectus, qui hospes Salesianorum domum gratulabundus inviserat, Patrem primis quoque beatorum honoribus, illius diei memor, omnibus admirantibus, decoravit. Ipse, quos in honore suos esse peramanter voluit, vel in labore nos paterne sustinuit. Adsurgente enim paulo ante maxime omnium turpissima tempestate, nos beneficiis cumulavit, nos vel defensos tristibus temporibus vel ornatos secundis, suos totos esse sibi permisit.

Et nos in recordatione faustissimi illius diei defixi gratique ob honores quibus Parentem nuperrime cumulari placuit, Dei potentiam admirati, qui voluit per totum varietas ab eodem esse honestatum, quem modesta atque frugali mensa hospitem olim acceperat, gratias Ei magnas agimus, maioresque in dies habebimus, quas tandem aliquando relatuos esse confidimus.

Et Tu, Pater Sanctissime, haec omnia laetissimus accipe, et faxit Deus ut, dum nos ad contemplationem virtutum Patris vocas, Restitutor Tu in Christo felicium saeculorum saluteris, et pacatis tandem hostibus, in Augusta sede diu placideque intersis populo Christiano.

Quem honorem tibi Deum fortunare volumus.

I. B. FRANCESIA.

Ex Polonia

PIO X BEATISSIMO PATRI gratiarum actio et gratulatio

Si quis huic aetatis hominum vitam atque mores diligenter respiciat, non est dubitandum, quin consentiat plurimos mortales, quo quisque cultior, quo potentior videatur, imprimisque eos, quibus praecepit munus vitam rationemque societatis humanae ordinandi sit delatum, plurimum in iis rebus elaborare, quibus fundamentum vitae communis non firmetur, sed subruatur. Ne multa, summa ei laus, abundantissimum praemium, qui instrumentum efficacissimum atque crudelissimum ad debilitandum, opprimendum, delendum non solum sotem, sed etiam innocuum, excogitare sciatur. Quod studium abominandum, ut omne flumen vel luridum, ex locis superioribus in inferiora praecipitans, lutum, coenum, sordes secum volvit atque sensim signum humanitatis praestantissimum amoris et benignitatis mutuae inter homines polluit. Quo fit, ut hominum omnis conditions circa mores depraventur, et cum Horatio iam dici possit: « Fas atque nefas exiguo fine libidinum discernunt avidi ». (Carm. I, 18).

Qua in re prorsus nesciri aut in oblivionem abire videtur nulla alia re nisi firma et viva, id est, non magis in verbis, quam factis, emicanti religione auxilium atque saltem inveniri posse, id quod Voltaire ille quoque professus esse fertur, quum dicere sine religione ne parvum quidem oppidulum gubernari posse.

Sed malum se ipsum mordet.

Hac enim de causa non solum debiliorum et humiliorum, sed etiam potentiorum et superiorum sors et vita fit inquieta, periculis non vacua, misera; id quod non in singulis hominibus tantum, verum etiam in populis omnibus conspici potest. Qui rerum status si iam liberis suoque iudicio atque arbitrio utentibus populis gravis est, quanto magis intolerandus, si quis alieno subiectus est imperio!

Atqui ad nostrum Polonorum populum prorsus paene pertinere id videtur. « Paene » dixi: quotusquisque enim est, qui, ut ius et lex divina postulet, moraliter atque civilem conditionem populi curet, qui ei patrocinetur, ad quem hoc « rebus in incertis certus cernetur amicus » spectet? Pro Deum immortalis! nisi Ecclesia catholica exsisteret, nisi rector eius divinitus iudex summus morum et actorum omnium mortalium constitutus esset, nullum oppressis humilibus contra vim et iniuriam potentiorum praesidium maneret. Quis Saxonibus gementibus contra Germanorum Henricum IV est patrocinatus? quis Anglorum Henrico VIII iniustum divortium matrimonii recusavit? Quis semper, ubicumque quantumcumque auctoritate sua atque magistratis assequi potest, non studet mortalibus cunctis rectam et hominem

non minus culto quam honesto dignam agendi viam commendare, admonens errantes non modo salubriteriae legis christiana, verum etiam eorum, quae iam ethnicus poeta, quum omnia circa vitiis contacta videret, divinitus afflatus exclamavit:

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum?*

Quid igitur? — Mihi quidem, ut nobilissimis honestissimis magistris meis olim, etiam magis nunc omnia circum me spectanti penitus est persuasum, nos Polonus, nisi fides catholica, nisi Ecclesia romana caputque eius, qui est Pontifex Maximus, sustentaret, iam penitus adhuc perisse.

Aut malum, aut veri ignarum, aut imperitum saltem, eum esse censeo civem, qui rem ita esse per spicere nequeat; Fides enim atque ecclesia format, utcumque est, firmatque morem et rationem vitae; servat igitur « typum nationale »; sustentat, praesertim ut apud nos est, linguam nationis; corroborat igitur naturam et ingenium populi. Quarum duarum rerum alterutra amissa, populus idem iam non est idem; quae res, ut ex historia et rebus gestis generis humani cognosci potest, tunc solum est probabilis, si populus honestior et praestantior fieri potest. Cuius rei exemplar manifestissimum Gothorum esto populus vagus, qui relicts quondam sedibus, abiecta natura et lingua cum Italis victis commixtus omnia sua usque ad nomen sprevit, sed eo cultior et praestantior evasit.

Sed nos Poloni, nos tali mutatione facta, quidquid et nobis exprobari potest, hand dubium est, quin nil nisi deteriores redderemur. Quam ob rem quasi instinctu quadam nobili ducti hoc, ut aiunt, Germanorum « ibi patria, ubi bene » aegerrime abominamus fidelissimeque sequimur Homerum et eius « οὐδὲν πατερίδος; γλυκύτερον ». Quo fit, ut plurimam gratiam habeamus, si quis huic carissimae simulque dolore ac luctu affectae patriae nostrae bene vult cuncte favetque.

Sed raro accidit ut quisquam gratiam populi calamose viventis mereri cupiat.

Unum semper constantem amicum habemus unum, qui sorte nostra penitus moveatur, cuius vere magnique intersit, quanam conditione utamur, Pontificem romanum.

Numquis est, qui hoc infitari audeat, si perfecte praeterita tempora cognita habeat, si etiam Beatissimi Patris Pi^X scripta, actiones, conventiones respiciat? Quam multa enim sunt, quae veluti pater diligentissimus singula et directe de salute et sorte populi nostri statuenda suscepit suscipitque!

Sed facta loquantur.

Si « Epistolam ad Archiepiscopum et Episcopos Poloniae (d. IIII mens. Decemb. MCMV) » inspicimus, quanta iam in initio eluet vis amoris erga Polonorum populum, quam blanda laus maiorum nostrorum, quae probatio rerum gestarum, quibus « de libertate, de

culta christiano et civili gentium Europae sunt meriti », quae notitia ingenii Polonorum in iis: « unde factum est, ut catholici ac Poloni nomen promiscue sit habitum »! Nonne plebs nostra imprimitisque rusticis adhuc vici aut praedii possessorem, qui non catholicae est fidei, Germanum (« Mimiec » corruptum pro « Niemiec ») appellant?

Luget igitur Pater Optimus, qui Se ipse, ut infra videbimus, « Poloniae amantissimum » dicit, quum videat carum sibi populum discordia distorqueri, propterea quod « ceterarum fere miseriarum fons atque origo factiones illarum turbulentissimorum hominum, quae... eo incumbunt, ut plebem... occupent illamque immuni civilis consuetudinis damno in nefaria quaerantur corripiant ».

Quem amoris atque doloris affectum, quam prudens, quam salutaris sequitur admonitio atque desiderium: « Quum optimi utilesque civitati homines non aliter creentur, quam si rite probeque a pueris erudiantur, commune omnibus officium est... eniti et contendere, ut catholici adolescentibus eiusmodi pateant gymnasia, ubi de catholicis institutis ac moribus praceptio sit ac disciplina ».

Ad quem autem finem illud sit entitendum et contendendum, ita docet: « ut parens russico imperio Polonia secundioribus semper condicionibus utatur. Quod sane ut obveniat — inquit — partes Nostras ut pote Patris Poloniae vestrae amantissimi apud potentissimum Imperatorem nunquam desiderabit ».

Neque ita multo post, si iam illas encyclicas duas viam ad emendandum errorem, quo communis populi vita turbatur a Mariavistis, benigne sternentes omitimus, quam grave documentum desideri illius, sollicitudinibus, curiae accepimus, quum conventione cum gubernio Russico est facta (d. XXII mens. Iul. MCMVII), qua res in Polonorum seminaris statutae sunt et ordinatae. Cuius conventionis hoc est praecipuum: ex omni parte auctoritatem praesulum ecclesiae nostrae et libertatem in disciplinarum, quantum ad linguam, historiam, litteras russicos attinent, « programmata », in magistris eligendis, in alumnis promovendis observatam inviolatam esse.

Quis omnia illa, quae demonstravimus, efficaciter curare posset, nisi Eum patrem haberemus? Quae quum oculis et animo obversantur, nonne cum intima gratia coniungenda est sincerissima gratulatio hac adventante quinquaginta annorum sacerdotii Beatissimi Patris die? Quam liceat mihi vel ultima excussi apud nos carminis mei stropham exprimere:

*Eamus ergo: gratum animum decet
Festo salutem dicere Ei die
Ocareque et clamare: vivat
Et regat longa per aevum felix!*

Scrib. Varsaviae Polonorum.

JOSEPHUS WABNER.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.
ROMAE — Ex officina Pacts, Phil. Cuggiani.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCVIII

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80
ubique extra Italiam Libell. 6,25
(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)
recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis" possessorem et administratorem
ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque sive Vox Urbis kalendarium, sive tabulam m. 0,25 × 0,45 Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCCXLVI peractam, ad lubitum sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos premiumque eorum subnotationis miserit, subnotatione sibi gratuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres — bibliopolis exceptis — magnificam tabulam dono accipiet m. 0,63 × 0,85 in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, officina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem — bibliopolis pariter exceptis — dimidiatum premium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere gratis omnino gaudebit.

Ann. XI. ROMAE, Kal. Octobribus MDCCCCVIII Num. X.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80
ubique extra Italiam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

IN ANGLIA

IN RUSSIA

IN CANADA

apud
Librairie Gamber

apud
Burns and Oates

apud
Gebethner et Wolf

apud
Librairie Granger Frères

Paris
Rue Danton.

London W.
28, Orchard Street.

"Kronika Rodzinna"
Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal
1609, Rue Notre-Dame.